



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XLV. Gregorii Papae I. Adf Ioannem Episcopvm Callipolitanvm. De
Andrea episcopo, & Matricula verberata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLA XLV.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM CALLIPOLITANVM.

De Andrea episcopo, & Matricula verberata.

Gregorius Ioanni episcopo Callipolitano.

Ex gestis quæ ad nos fraternitas tua direxit inuentum
Est Andream fratrem & coepiscopum nostrum ha-
buisse sine dubio concubinam. Sed quia incertum est si
eam in sacro ordine constitutus contigerit, necesse est ut
eum solicita adhortatione commoneas, vt si positus in sa-
cro ordine, cum ea se nouit immixtum, ab eo, in quo est
officio quiescat, & nullatenus administrare præsumat.

Quod si forte conscientius sibi huius rei, peccatum suum sup-
primens, administrare præsumperit, animæ suæ pericu-
lum diuino iudicio imminere cognoscat. Matriculam ve-
ro quam fecit fustibus castigari, quamuis exinde post octo
menses obiisse non credimus; quia tamen eam contra pro-
positi sui ordinem huiusmodi fecit affligi, duobus hunc
mensibus a Missarum solennitate suspende, vt vel hæc
eum verecundia qualem se de cetero possit exhibere in-
stituat. Præterea oblata nobis petitione, quæ tenetur in
subditis, clerici prædicti episcopi multa se mala ab eo sus-
tinere commemorant. Ob quam rem fraternitas tua sub-
tiliter cuncta curet addiscere, & ita ea rationabili modo
emendare atque disponere, vt nulla eis pro hac re huc re-
meandi de cetero necessitas imponatur.

Mense Julio, indictione undecima.

EPISTOLA XLVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD CLERVM ECCLESIAE SALONITANÆ.

Honoratum ad episcopatum electum fuisse probat.

Gregorius clero ecclesiæ Salonitanæ.

DILECTIONIS vestræ scripta relegentes, electionem
vos in Honoratum archidiaconum vestrum fecisse
didicimus, & omnino nobis gratum fuisse cognoscite,
quod olim expertum virum, & grauem moribus, ad epi-

Iuo p. 10.
cap. 23.
Ioan. diac.
lib. 4. cap.
27.